

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Lunæ trigesimo Martii anni M. DCC. XXXIII.

M. LUDOVICO DE SANTEUL,
Doctore Medico, Præside. Autore.

An sana Sanis Diœta Quadragesimalis?

I.



UI piè vivit, vivit salubriter. Materialis valetudo in Homine à corpore pendet, Formalis ab animâ; hujus tutela Religio est, illius conservatio Medicina nostra. Sanitas ergò adæquata, Utriusque cognitionis commune commodum, par Sacerdotis & Medici votum & opus. Disciplina Religionis quasi medicina mentis, quâ illæsis œconomiæ animalis juribus, Homo his in terris se se beatum sentit, meritamque à Christo Æternitatem, sibimetipsi comparat, factus suorum sensuum judex, dominus ac victor. Cujuscumque in Cognoscendo certioris,

in Amando perfectioris, in Sperando dulcioris, in Gubernando prudentioris, in Ornando decentioris, in Agendo candidioris, in Vivendo sanioris, promptuarium est Religio. Hosce veri bonique *thesauros absconditos & arcana secretorum* commisit Ecclesiæ Christus, idest omnibus hominibus ad usuram, Viris Apostolicis ad doctrinam. Unius Dei, Cultus unus; Ex eo societatis bonum & felicitas; Hic unumquemque hominem informat, quoad Naturam, Rationem & Mores, relativè ad se & ad alios homines; Qui vera est mutui radix, Personarum, Jurium, Officiorum indicat discrimina. Deo serviunt omnes, sed aliter Pontifex, aliter Rex, secùs monachè viventes, conjugati, cœlibes. Una Ecclesiæ doctrina, Multiplex ac diversa ejusdem Disciplina; Hæc vel privata, vel communis est: Privata homines in certo quodam statu positos spectat, Communis ad omnes cujuscumque ordinis pertinet. Doctrina respicit animam, Disciplina totum hominem. Homo igitur sese totum Religioni debet. Distinguntur quidem anima & corpus, sed nusquam per vitam separantur. Nihil fieri potest in animâ quod ad corpus plùs minùsve sensibiliter non extendatur; Et vicissim nihil fit in corpore quod postea mentem non afficiat. Preces indè, meditationes, studia, otium, solitudo, silentium cum laboribus, imò motibus spontaneis æquilibranda sunt. Corpus non ergastulum, pretiosum est animæ domicilium in dies perficiendum, cujus vel reliquias Secundæ reddituræ Vitæ servat Ecclesia. Eorum quæ necessaria sunt, facilis est abusus; Circa Victum & Vestitum plerique hominum errores; Ad eos præcavendos aut emendandos tota ferè Christi doctrina, omnis Ecclesiæ disciplina. Primariæ ergò societatis Leges ab istis fontibus derivatæ, rationi & politicæ apprimè consonantes, partem hominis inferiorem spectant & gulam. Ex hisce duabus partibus diversimodè moderatis, instituti varii virorum Ecclesiasticorum Ordines; Isti omnes sunt necessarii, nulli contra naturæ vires, illarum institutionum sapientia, in eo posita est, ut Homo totus circa Deum applicetur, sine ullo æquilibrii corporis & animæ detrimento. Hoc præstat rerum non-naturalium & externarum pia tractatio, quâ corpus iisdem fruitur commodis ac exercitatione. Jejunium proprius Sacerdotum labor, Deo conspicuus, vulgarium hominum oculos fugiens, cujusque testis ipsorummet conscientia, sic in sudore vultûs manducant panem, sic suam societati, ut cæteri cives, conferunt operam. Vita aliorum hominum non omnis, sed penè tota in jejunio posita est; Triplex est jejunium, aliud Naturale, aliud Rationale, aliud Politicum. Qui scit à voluptate & à gulâ jejunare, facilè abstinet ab iniquitate, malis sermonibus, cogitationibus pessimis; perversâ doctrinâ, fallaci philosophiâ; hinc à Naturali jejunio ambo alia pendent. Naturale jejunium est ea in vivendo temperantia, quâ quis indigentiæ tempora non prævenit, cibos non quærit lautiores, non petit eosdem paratu accuratiores, nullam alimenti sivè abjectioris, sivè delicatioris æstuosè desiderat speciem, denique in quantitate sumendâ mensuram servat. Illæ vivendi Leges quotidiè commendantur à Medicis ad morbos præcavendos sanitatemque conservandam, Eædem ab Ecclesiâ sanciuntur, determinatâ alterius cibi specie, in Diœtâ Quadragesimali; Dicitur Quadragesimalis ex eo quod per quadraginta dies adhibeatur; Sic Octava anni pars Deo consecratur, sic ad ce-

lebrandum Paſcha, ſingulorum Chriſtianorum Corpus tenuiori & rariori cibo maceratur; illa maceratio ſalubris eſt, quæ veras in Individuo valetudinis cauſas refocillat, nihil ab ipſis deterit, imò animam inter & corpus æquilibrium tuetur.

I I.

CREDERE & profiteri Medicorum eſt, Hominem apud Deum mereri, ex peracto religioſè quadrageſimali jejunio. Illud idem probare, ſi ſit aut eſſe videatur opus, Theologorum eſt. Sit in Medico religionis amor, abſit in Sacerdote Medicinæ horror; hæc firmat Fidem, illa Medicinam auget. Ex Medicis luculentiora exiſtentiæ Dei, mentis in corpus potentiæ argumenta ſumunt Theologi. Ex Theologis, Medici pariter preſentiora agnoſcunt ac venerantur auxilia in morbis ab animo profectis: Corpus non-nunquàm in Cogitando luxuriæ & in Sentiendo libidinis innocens victima. In hiſce caſibus quot ſublatæ occaſiones, quot ceſſatæ cauſæ, quot prævisa vel mitigata ſymptomata, ex monitis, eloquio Sacerdotum. Mulier temperamento bilioſo & ad iram prono, plùs quàm ſexies per annum vehementi Epilepſiâ corripiebatur, à paroxiſmo per plures dies ſtupida remanebat, fruſtrà frequentes adiverat Medicos, miſeram ſortem Sacerdoti exponit, ipſique fatetur ſe exiſtimare diri ſui mali cauſam oriri, ex innatâ ingenii ſui indole, quâ ex levioribus vitæ anguſtiis ſuccenſeret. Chriſtianè pati, ſeu cogitare ipſam edocuit Sacerdos, & profectò Ea nunc integrâ potitur valetudine. Ens increatum eſt cauſa exemplaris Entis creati. Deus ſemetipſum delineavit in operibus ſuis. Quemadmodum ergò à potentiarum in organis corporeis & in fluidis harmoniâ, corporis ſanitas, Ita forſan mentis integritas, ab ipſiuſmet facultatum conſonantiâ. Metaphyſicum illud æquilibrium nec impoſſibile, nec Fidei fundamentis repugnans, nec apud Philoſophum ullius abſurdi capax. Animi pathemata, aliquando animi actus & opera, ideſt abſque ullâ externâ occaſione & ſine ullo in corpore motu primario aliquando oriuntur. Harumce mentis affectionum cauſa, idea perennior. Ex hiſce affectionibus fiunt inſoliti & ſecundarii in corpore motus, ex quibus ſic affecti inſanire videntur. Iſti motus ſunt affectiones, non affectus, ideſt nihil ſenſibile relinqunt. Iſtud fit ex eo quod partium ſolidarum tonus non ſit determinatus, aſt nunc ad, nunc præter, nunc contrà naturam, certos intrà limites augeri vel minui poſſit. Signum affectionis corporeæ ab animo pendentis, febris abſentia, nulla, aut ſaltem minima in pulſu variatio. Acriter aliquid aliquis intendit, meditatur, ſtudet, deſiderat, vel brevì fatiſcet Corpus, vel plùs minùſvè irritabitur. Conſequentur iſtarum affectionum accidentia, ſtupor, tetanus, vertigines, oculorum inconſtantia, eorumdem immobilitas, motus melancholici, hypochondriaci, artuum pandiculationes, tremor, figurata muſculorum motio, indecens totius corporis quaſſatio. Stupenda credentur hæc omnia in Homine phœnomena, Hæcce aliquandò excitare poſſunt ſollicitatus in corpore mechaniſmus, præſertimque in vinculo mentis & corporis modalis ſingularitas. Primi Philoſophi rerum naturalium cauſas Diis tribuebant, dein quibuſdam Spiritibus creatis, quorum alii extrà res naturales poſiti, ipſis proſpi-

ciebant, alii intrà ipsas agebant, indè Paganorum, Cabalistarum, Peripateticorum fabulæ; Neoterici alio modo in inquirendâ veritate processerunt; Anatomes, Chimiæ, Geometriæ, Phisicæ experimentalis auxilio, diversas finxerunt hypotheses, quibus in functionibus naturalibus, nihil ab animâ immediatè proficisci, demonstrare conati sunt; Nec hi prioribus sapientiores, Corporibus nimiùm impertiunt: Homo ultimum est & peculiare Creationis opus. Non eodem tempore cum aliorum animantium genere factus est. Propria ipsi fuit servata Creatio. Num in aliis corporibus dentur animæ, dubitare licet. De suæ animæ existentiâ nullus ambigere potest. Quid vetat ergò in homine affirmare constitutam naturæ legem, prorsùs discrepantem ab eâ, quæ plantis, mineralibus, imò cæteris animalibus data est; Et Lex ista Æquilibrium est mentis & corporis; Commercium idest utriusque substantiæ, nonnihil ab hominis voluntate pendens, quo utraque inter se reciprocat, undè pacatìm fiunt uniuscujusque functiones, itâ ut Homo ex utrâque parte valens, sit societatis particeps. Sint ista quatuor Phisicæ Medico-Christianæ fundamenta. 1um Anima non merè passiva; 2um Corpus non simplex automa; 3um Non datur liquidum mobile tenuissimum, aëreum, spirituosum; 4um Corporum potentia non à tenuitate, sed à convenienti conformatione & mole. Corpus & Animam jungi nullus est qui inficias eat, nullus qui utrumque in se invicem quâdam proportione operari difficulter credat. Hocce negato æquilibrio singularia hominis, sivè in sanitate, sivè in morbo, sivè in quibusdam vitæ circumstantiis intelligi non possent. In mixtis sunt quædam proprietates, quarum aliæ à distinctis qualitatibus, aut à certo principio emanant, aliæ quæ ab adunatis istorum corporum qualitatibus oriuntur. Ità sunt in homine attributa, quorum alia à solâ animâ, alia à solo corpore, alia ab utroque surgunt: Æquilibrium corporis & animæ est quasi *forma substantialis* veterum Philosophorum, explodenda quidem, quatenùs ficta *materialis* simul & *spiritualis*, admittenda verò quatenus significans fieri in homine nonnulla à corpore simul & ab animâ. In statu sano v. g. Idiosyncrasia, temperamentum, ingenii indoles, functionum ordo, situs, duratio, cursus, determinatio, tempus; In statu morboso mania, delirium, melancholia, malum hypochondriacum, non sunt unius corporis, neque solius animæ, sed sunt utriusque effectus, sivè potiùs æquilibrii corporis & animæ modificationes diversæ: Prædicti morbi plerumque sunt *immateriales*: Eorum ideò qui ex ipsis periêre, apertis Cadaveribus, nulla ferè detegitur causa. Infinitè variat corporis & mentis æquilibrium, Nunc modale majus occurrit momentum in animâ, ut in sensationibus; Nunc in corpore, ut in secretionibus; Hoc viget in somno, illud in vigiliâ. Existentiam istius æquilibrii demonstrant læsæ imaginationis effectus. Mulier utero gerens fœtum edit nœvis deturpatum, ex eo quod aliquid quo frui non potuit, diutiùs desideravit; Altera ex crurifragio Nebulonis vehementer horrore supplicii percussa, parturiit infantem cujus artus in medio ossium fracti nati sunt, Ipsius mente commotâ, quassata fuere & ejusdem corpus & embrionis stamina, quæ præ tenuitate, terroris impetum sustinere non potuerunt. Hisce accidentibus matrem inter & fœtum elucescit commercium.

In Gravidâ circa res quaſcumque neceſſaria ſapientia eſt, ne ipſius delictorum victimam pariat prolem. Morbi ſimplices quotidiè graves, imò lethales fiunt in iis qui nimium vitæ & ſanitati ſtudent, quique præſertim vel minimi impatientes ſunt doloris. Perverſa cogitandi ratio plures efficit ægros, quibus Medicina, ars aut venefica, aut illuſoria & inutilis; E contrà animi præſtantia Cachecticos, corpore tenues, imò phtiſicos ad ſenium ducit. Robur in Operariis, in Artificibus induſtria, in Bellatoribus magnanimitas, diverſa totidem iſtius æquilibrii ſpecies & argumenta. Pretium indè religionis, rectæ à puero inſtitutionis, bonorum exemplorum. Compoſitum eſt iſtud æquilibrium; Suum eſt ſingulare animæ, ſuum eſt peculiare corpori, ex utroque adæquatum hominis æquilibrium. Animæ functio, cogitatio; Corporis actio, motus; Æquilibrii adæquati opus, judicia & mores. *Non ex ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei*, animæ æquilibrium ſervatur *verbo Dei*, Pane benè moderato ſervatur æquilibrium corporis.

III.

QUADRAGESIMALE Jejunium, etiam quale fit hodie, ſervat corpotis æquilibtium. A priſtino ab Apoſtolis tradito licet differat, utpote ſtrictum minùs, ejuſdem efficaciæ eſt. Securè indulget Eccleſia. Ampliatis vitæ humanæ laboribus, Aucta alimoniæ copia nihil ab abſtinentiâ detrahit. Æquilibrium corporis eſt ea partium Solidatum etſi texturâ diſſimilium, robore & elatere proindè diſctepantium motio, quâ pro diverſâ quæ ſingulis organis inſunt, cavitate, figurâ, poſitione, Fluida, craſi & mole inter ſe differentia, inæquali fluiditate & progreſſu acta, tamen in ſe invicem confluunt, ordinatoque circuitu per totum corpus circumeunt. Iſtud æquilibrium non eſt ad *pondus* ſed ad *juſtitiam*, id eſt non ſemper idem, ſed varians & mobile, pro diverſis rebus externis quibus objicitur homo. Nec incerta iſta mobilitas, voluntati obtemperat. Fibrillarum toni certus eſt tenor, intrà ipſum vel contrahuntur, vel extenduntur. Ubi ultimos ejuſdem laxitate, aut erethiſmo tangunt fines, tunc fit ægritudo univerſalis vulgòque funeſta, ſic affectus maraſmodici, ſic habitus athletarum ad ſummum progreſſi. In hiſce caſibus abſque dolore peteunt ægri, mortiſque cauſa, motûs in fibris quaſi deletio. Penitùs perditi organici iſtius æquilibrii triſtia cernuntur incommoda, in quodam haud rariori affectu qui chronica appellari poſſet Apoplexia; Obeſos plerumque corripit, facti uſque ad cutem pleni, noctu diuque dormiunt, nihil autibus niſi brachio commoti, aut vocis ſtrepitu perculſi audiunt, indolent, Bovinam præ ſe ferunt faciem, ipſis tument & rubent oculi ſæpè lacrymis ſpontaneis madidi, vitrea ex ore exudat ſaliva, mentum præ pinguedine ad ſternum deſcendit. Citò ſolvendus inſtat iſte habitus, ſed incaſſùm; ſi crebrior tentetur ſanguinis miſſio, concidunt vaſa, ſi Emeticis ſuſcipiatur opus, rumpuntur, aut ſi reſiſtant adhuc, febris ingruit gangrenoſa futuræ mortis nuncia. Hujuſce febris vulgare ſignum, vel tranſpirationis fœtor, vel maculæ purpureo-nigricantes per artus hinc indè diſperſæ. Sentiuntur Principia in Corpore

agentia, nec Anatome, nec Chimicâ Encheiresi deteguntur solis. Medicina est prima hominum probabilitas, veræ eorumdem scientiæ ordine proxima; Fulcitur ista conjecturis, semper iisdem, Sensuque intimo suggestis. Judicia ex ipsis elicita æquè certa sunt ac ea quæ ex sensuum nostrorum relatione feruntur. Hisce judiciis alteri fit quod sibi quis fieri vellet, si simili morbo laboraret. A Medici probitate, Medici perspicacitas. Morborum & sanitatis causæ efficientes iisdem innotescunt viis. Eorum quæ à Deo emanant & singulariter pendent, Ars conjiciendorum maxima; Huic se se indesinenrer assuescere debet Medicus. Videtur ergò corpus humanum, fibrarum tubulosa compages, successivæ contractionis & dilatationis capax, fluida diversi generis admittens, moderans, retinens, & evacuans. Motus quo ista agitatur machina, duplex. Alter internus, alter adventirius: Organa motûs interni, Cor & Cerebrum; motûs adventitii, Cutis & Abdomen. Ut istæ duæ ultimæ partes sensibus & oculis magìs patent rebusque externis magìs exponuntur, ità præcipua sunt Medicinæ sivè ratiocinantis, sivè curantis objecta. Quod in fœtu placenta est, illud idem in adultis abdomen. Viscus est ex visceribus plurimis conflatum; Est nempè jecoris, lienis, renum, vesicæ, stomachi, intestinorum, vasorum lacteorum, mesenterii, omenti ordinata coagmentatio, in ductum thoracicum, funis umbicalis instar, ad venam subclavialem terminata. Cutis est membranaceum organum, aëri undèquaque expositum, ex quorumcumque vasorum & fibrarum cujuslibet generis præcipuè nervorum finibus textum, partim osseæ, partim carneæ substantiæ particeps, ejusdem prosapiæ sunt Pili, Ungues, Ligamenta, Tendines. Mirabilis est cutis & abdominis inter se conspiratio. Ubi hujus laxitas, ibi illius densitas & vicissim. Utriusque consensus circà ægros potissimùm observatur. Nullus diuturnior in cute, vel in abdomine detegitur affectus, nisi simul utrumque laboret, aut brevi aliquâ ægritudine laboraverit. Liquet in ictero, in capitis majoribusque artuum vulneribus, in scorbuto, in plerisque infantium morbis, scabie, scrophulis, in colicis affectibus, in cholerâ morbo, in variolis, in lue vereneâ, in hydrargiri ad eam sanandam extùs illiti usu, in sinapismorum applicatione, in venenis intùs sumptis, quorum nulla in abdomen solum, vires suas exerunt, sed omnia ad cutem sivè colorem mutando, sivè sudores excitando, sivè motus convulsivos pariendo, sivè caloris aut frigoris sensationem inurendo extenduntur. Demùm in venenatis animalium morsibus, ut Bufonum, Aspidum, Viperarum, quorum ictus neglectos, non tantùm sequuntur partis vulneratæ dolor, tumefactio, syderatio, sed ferè semper succedunt totius corporis inflatio, ventris meteorismus, cardialgia, vomitus, syncope. Ad sanitatem conservandam maximi momenti est ista cutis & abdominis habitudo. In utroque adest interni elateris terminus, ab utroque hic externam vim accipit, quâ retinendo semper evacuat, aut ad evacuationem ducit, sivè humores in proprias cystides pellendo, sivè eosdem ad motus voluntarios, aut naturales, in musculos abigendo. Corpus per diem nihil aut parùm sibimetipsi applicat, aliquali indè liquidorum mole versus noctem superatur. Ubi lassitudo, artuum pondus, sen-

ſuum externorum feriatio, quietis & ſomni neceſſitas, ibi digeſtionum, ſecretionum & nutritionum maturitas. Succi alibilis orgaſmus, eſt naturalis ſomni cauſa; Evincunt diluentia, ut herbæ *Thé* potus, quo commodè utuntur qui vigilare volunt. Per ſomnum digeſtiones fieri probant affectiones à crapulâ remanentes, ut febris, hemicrania, nauſea matutina, oris amaror & linguæ ariditas. Qualis vigilia, talis ſomnus; id eſt ſi per diem aliquid delicti fuerit, in victu, laboribus, cogitationibus, noctu aderunt terrores, inſomnia, corporis verſatilis agitatio, totidem affectus vel ab animæ impreſſionibus vigentibus adhuc, imperfectève ceſſatis, vel ab uberiore, crudiore aut acriore lymphâ profecti. Quantus aër, tantus cibus; id eſt pro cutis ab aëre preſſione, ea in ſtomachum alimentorum, habitâ ratione ſpeciei, apponenda quantitas; Tenuior indè in regionibus calidis, craſſior in frigidis alimonia. Aëris mutationes, aliæ diurnæ, aliæ menſtruæ; Graviores quæ ſingulis tempeſtatibus contingunt. Ex iſtis mutationibus hominis Æquilibria tentantur. Ne Corpus Animæ vim inferat, ſancitæ fuerunt ab Eccleſiâ ciborum mutationes. Omnium aëris mutationum ſaluberrima, Quæ Verno contingit tempore. Præſtantiſſima pariter, Quæ per iſtam tempeſtatem, Eccleſiæ mandato fit ciborum mutatio. Verni aëris elateri & mobilitati, reſpondent alimoniæ Quadrageſimalis tenuitas, raritas & varietas. Victus iſte corporis æquilibrium ſervat, fibras nec deterit, nec debilitat; ipſius occaſione Oeconomiæ animalis intima reſurgit vis, Natura ſuas feliciter experitur criſes, demùm citrà ullam in mente perturbationem, verè novo renovatur Homo.

IV.

QUANTA debentur Eccleſiæ! Alma ſocietatis mater eſt; Ex ipſius præcepto datur eſca Fide ſecura, Ratione neceſſaria, viſu aliundè pulchra, guſtuque delectabilis. Venit & ex omni parte commoda, verſùs finem Hiemis initiumque Veris. Hiems paraſita tempeſtas, frugibus vivit alienis, ſivè perennioribus, ſivè induratis igne, ſiccatiſque Sole, ſivè ſaccaro acetovè conditis. Gaudet etiam ſalſamentis, quæ temperata mirè ſecretionibus atque nutritioni conferunt. Jejunantibus multiplex offertur cibus. Quidquid tunc abortit Terra, Mare & Flumina produnt, Quæcumque fingit Ars, humana ſervat Providentia, præſto ſunt ad veſcendum. De omnibùs ut Chriſtiani comedant præcipit Eccleſia, Unâ exceptâ Carne. Tempore Quadrageſimæ, piſces, legumina, olera, fructus, lacticinia, ſola licitè & tempeſtivè miniſtrantur. Erant olim Parentum noſtrorum edulia, iis nutriuntur hodiè plerique Ruſticani, & primâ ætate Pueri. Profunt adoptata more ſuo Viventibus, Solitariis, Monachis; Nocerent continuata nimis, Puberibus, Conjugatis, Perſonis publicis, Cuique demùm civilibus obligato Legibus. Quamdiù viguêre Morum ſimplicitas, Manſuetudo, Operæ facilitas, tamdiù alendo ſufficiens fuit fructuum Naturâ paratorum copia. Ubi crevêre hominum Labos, Ambitio, Curioſitas, tunc emerſit fortioris cibi, Carnis indè neceſſitas. Hunc dedit inflicta animantibus Mors, Dedit & Me-

dicamenta, Veſtimenta, Ornamenta, Inſtrumenta. Felix ergo Carnis uſus; Moderanda illius quantitas. Hoc præſtat pro ſingulis diebus, Secunda quæ probè jungitur menſa; pro ſingulis annis, Quæ huic analoga, ſanctè ſuſcipitur Diœta Quadrageſimalis; Caro non ut immunda, ſed tanquàm nimiùm ſuccoſa, voluptatiſque ſtimulos acuens interdicitur. Succi ex eâ eliciti rigidiores ſunt, ex aliis cibis tenuiores, fugacioreſque; Ex omnibus vivitur, non ex omnibus æquè nutritur. In homine ſano excernuntur humores, eâ ratione quâ ipſorum ſumitur materies; Singulis diebus aliquid evacuandi, vel in ſanguine remanet, vel ad ipſum remeat. Naſcitur indè Plethora quædam, quâ quis ad libitum ſexcentis vitæ officiis, prout res, caſus, occaſio, aut decentia poſtulant ſe ſe accommodat. Iſta Plethora ſenſim ſine ſenſu augetur. Nonnihil aliquandò minuitur, vel Menſtruorum, vel Hemorroïdum, aut urinarum ſivè rato, ſivè contingenti beneficio; Hujus tamen ſupereſt majus corollarium, quo fit conſequens fibrarum extenſio, ſinè ſanitatis diſpendio, quamdiù frigore Hiems robur addit fibris, humorumque quantitatem & reſiſtentiam compenſat. Accedente Vere, Aër calore ſuo & humiditate tùm nativâ, tùm à frequentibus imbribus ortâ, eos in Oeconomiâ animali excitat motus, quibus tota conatur ad tonum recuperandum, ſuccoſque Hieme congeſtos exprimendos. Ut iſti felices ſint motus, præcaveri debet ne Quæ per annum fit ad vaſa plenitudo, vires impetat corporis. Ut eorumdem motuum fauſti ſint effectus, Quæ fit veris ortu colliquatio debet eſſe nec nimia, nec libidinoſa, nec morboſa. Dat hæcce commoda Diœta Quadrageſimalis. In eâ duo ſunt conſideranda, jejunium & cibi præſcripti ſpecies. Hæc ad motum comparata, perparum ad molem; Non neceſſaria eſt iis qui per vitam Quadrupedibus Volatilibuſque abſtinent, Quales ſunt Monachi quidam; Impoſſibilis eſt aliquandò, ut apud quaſdam Gentes quibus non datur alimentorum ab Eccleſiâ cautorum copia. Jejunium eſt ſemper & ubiquè neceſſarium & poſſibile; Ab eo præſertim Diœtæ Quadrageſimalis, vel præſtantia, vel nocumentum. Supponit ferè factam in corpore accretionem, vult integra viſcera, præcipuè pulmones quibus infenſum eſt, ſi ſit in ipſis aliqua labes. Jejunio nullus tenetur niſi elapſo ætatis vigeſimo primo, quo tempore uniuſcujuſque jam nota valetudo eſt. Innoteſcit jejunii virtus, minùs quamdiu adhibetur, quàm eo finito, ſolitiſque aſſumptis cibis. Jejunio ſucci reflui circulationis legibus redduntur, rurſuſque nutritioni cedunt. Solida molis indigeſtæ aliquid amittunt, plurimùm roboris & elaſticitatis deinceps acceptura; Quæ fit in iis afflictio ſivè maceratio, eſt in dies creſcens intimus fibrillarum contactus, quo anima moleſtam percipit ſenſationem, haud abſimilem dolori quem à novâ earumdem extenſione ſuſcipit convaleſcens, ubi primùm ſe ſe exercuerit; Hæ impreſſiones in Convaleſcente nutritione delentur, illæ in Jejunante peculiari ſuâ diœtâ ſervantur ad tempus. Ne homo iſtis adventitiis aſſueſcat moleſtiis, Eccleſiaſtica diſciplina comeſtionis horam indicavit, ciborumque ſpeciem & quantitatem definivit; Nequè hæcce animi diuturna pathemata mentis & corporis æquilibrium perturbant; Dura licet, pietate leviora fiunt, Mentem circà Deum applicant, ſenſuum acumen operantur, motus corporis compeſcunt,

pescunt, liquida alio dirigunt. Ex viscerum inanitione fit rarior libidinis ansa, ejusdemque meritoriè semper, etsi minùs ægrè refrænatur impetus. Ver saluberrimum est; Plurimi tamen per ipsum oboriunrur morbi, aliarum tempestatum affectibus simpliciores, breviores, judicatuque faciliores. Horum minùs causa quàm occasio hujusce tempestatis aër, nisi sit epidemicè tentatus. Vernus aër naturam juvat, Æstivus irritat, Autumnalis comprimit, Hiemalis modò suffocat, modò insidiosè corroborat. Optima prophylaxeos species est Diœta Quadragesimalis. Eam œconomiæ animali conciliat motionis speciem quâ per totum annum se se rebus non naturalibus accommodat Natura. Victus iste Canalibus lymphaticis & excretoriis concedit libertatem, Liquorum facilitat circuitum, ipsis justam impertit crasim, Visceribus vigorem, Nervis robur. Rerum certiorum & utiliorum ea sors est, ut impugnentur aut contemnantur. Eas indè Quadragesimalis laudes alii dicent fabulas puerilia que præjudicia, alii in eas sic arguent: An hocce Ecclesiæ præcepto universus regitur Orbis, Nonne huic addicta minor ejusdem portio, Nonne inter Christianos Hoc à pluribus neglectum, à Nonnullis palàm repudiatum, Qui ipsi obtemperant, aliisne sunt vegetiores? Non inutilis Medicina judicatur, ex eo quod aliqui absque eâ, vel à gravioribus emergant morbis, Manet semper debita temperantiæ & frugalitati laus, licèt Nonnulli voluptatibus impunè serviant. Ad valetudinem commendatur pariter Diœta Quadragesimalis, etsi se sanos existiment, qui eam susceperunt numquam. Animalitati non necessaria est, sed Humanitati. Triplex est Terræ incolarum vivendi ratio. Alia solis Naturæ legibus innixa, alia iisdem fulta legibus, sed quâdam Superstione informatis, alia ex Religione à Deo datâ, quâ servatur Natura atque perficitur. Novi orbis populi vagantur, solitariè, saltèm domesticè vivunt, soli obediunt Naturæ, aërem experiuntur constantiorem, cibo simpliciori utuntur. Europeorum aliqui ex naturâ magis, quàm ex ratione gubernantur, liberiori & pleniori indulgent Veneri, alimoniæ temperandæ parùm solliciti, ad delendos victûs errores quotidiè usurpant diversa potuum genera, tabacivè fumo redundantem lympham eliciunt. Mores isti ad nos usque pervenêre, Accepti primùm ab iis qui circà ciborum speciem Ecclesiæ mandata deseruerunt, eodemque tempore de virginitate, cœlibatu, matrimonio non pepercêre legibus. Non indè diutiùs feliciùsque vivunt. Morbi apud ipsos hæreditarii non minùs perennes, nec Endemii minùs acres. Sua est Medicina crebrior & vehementior. Nihil mutando profecêre. Sanitati prodesse Diœtam Quadragesimalem pauci norint, Non nocere confitentur omnes, solis aliundè præscribitur sanis.

V.

LEGUM Ecclesiasticarum præcisa observatio parit constantiam; In iisdem adimplendis pietate fervidiori gliscens obsequium, cessationem movet aut cogit ad negligentiam; istud videre est in junioribus Monachis, præsertim sequioris sexûs. Antequam aliquis quadragesimale jejunium suscipiat, suam ipsi licet inquirere valetudinem; Si patiatur dubitare sapientis est, sed *pro-*

hibita violare non præsumat nisi à Sacerdote permissum percipiat. Medicos etiam consulat, corpori simul & animæ prospiciunt, totum hominem curant, in eo debitus Ipsis consistit honos, quod non ad salubrem tantùm, sed ad legitimam vivendi rationem necessarii sint. In Medico tres requiruntur dotes, Pietas, Prudentia, Sagacitas. Pietate jura divina tùm primaria, tùm secundaria tuetur. Prudentiâ nihil in judicando è Naturæ legibus detrahit; sciscitantem nec irritat, nec abjicit, nec ludit. Sagacitate evincit & suadet. Ut legitima detur à jejunio immunitas decem sunt observanda, 1°. temperies, 2°, ætas, 3°. conditio, 4°. sexus, 5°. corporis habitus, 6°. ingenii indoles, 7°. consuetudo, 8°. vitæ munus, 9°. incommoda præsentia, 10°. mala quæ ex Diœtâ Quadragesimali possunt contingere. Quæ ex hisce depromuntur impedimenta, alia jejunium, alia ciborum speciem, alia quantitatem, alia omnimodam abstinentiam respiciunt. *Temperies* sæpè accusatur tanquam impedimentum, Ipsi ne nimis auscultet Medicus. Est ista unicuique homini singularis in fibris oscillandi ratio, quæ ad normam suam, quæcumque appellunt fluida subigit. Tenax iste solidorum motus fit legifer, plurima ex eo fiunt in homine animalium more, anima tunc quasi obedit corpori; Ut temperiei resistatur quatuor postulant, Vita, Sanitas, Ratio, Religio; Hæc potissimùm quæ animales perficit functiones, eâ mente ut *sivè bibamus, sivè comedamus omnia propter Deum* fiant. Picrocholi à jejunio immunes esse debent, sed à Carne abstinentia ipsis necessaria; Plurima ex alimentis Quadragesimalibus ipsis proficua sunt. Strictè agendum est cum iis qui ex Diœtâ Quadragesimali acriorem experiuntur libidinis sensum, Aquei & Humidi suadendi sunt cibi, Prohibenda condimenta, saccarata, Largior potus commendandus, si per diem aliqua sentiatur sitis, Aquæ cyathus unus aut alter indulgeri potest, alimentorum distributioni favet, pleniorem non efficit nutritionem. Prima & ultima *ætas* excusant à jejunio; Infantes jam vitæ septennium adepti, cibis quadragesimalibus debent assuescere, si præsertim promptè crescant aliquaque dent evolutæ mentis indicia. Ex Senibus non immunes qui facillimè jejunium ferunt, id est qui mente sunt integri corporeque vegeti, soli inter eos qui anili marcore conficiuntur, quibusque fit frequens ventriculi morsus. *Conditio* personarum neminem dispensat, Quicumque sivè Optimates, sivè Plebeii jejunii observantiæ obligantur. Certam paupertatem excusant Canones, de divitibus silent, his etiam potissimùm utilis Diœta Quadragesimalis; Ipsis tamen sæpè interdicitur, non ob nobilitatis stemma, sed ob incertam aut malè cognitam valetudinem. *Mulieribus* gravidis, puerperis, nutricibus jurè prohibentur jejunium & abstinentia. Lac & chylus parùm inter se differunt; Aliqua gravidis relinquitur libertas, si sanguineæ, si pingues, si pituitosæ, si felix ipsis crebrò fiat gestationis tempore venæ sectio, si ciborum qualitate aut minutâ, tardatâve refectione nullum experiantur sensibile incommodum. Tenuior corporis *habitus* est causa legitima dispensationis; saltem à jejunio. Si tunc cibi apponantur Quadragesimales, mensa sit plenior, mollior, dilutior, & vix parùmper aromatica, somnus suadeatur longior. Obesi raró judicantur jejunando impares, ast in iis aliquandò latent affectus, in quibus temeraria

foret & periculosa jejunii susceptio. *Ingenii indolès* corporis temperiei affinis. Huic nonnumquam condonandum. Prompta est & frequens de quibuscumque rebus judicandi ratio, nec usu, nec experientiâ perfectè emendabilis, Organa facilè afficiens, modò in ipsis motum ciendo, modò compescendo. Varias parit in corpore affectiones, ut hemicranias, vagos in artubus dolores, insomnia. Quos affligit, nullatenùs ægrotare videntur. Diligenter tamen observet Medicus, animi morbos deteget, nempè iracundiam, rixas, incompositos oris, membrorum motus, multiloquium, vocis strepitum, taciturnitatem. Ne graviores fiant istiusmodi ægritudines, prudentis medici est, si præsertim de Virginibus Monachis agatur, præceptorum Ecclesiæ exequium, vel paululùm mitigari, vel procrastinari, vel duntaxat tentando peragi sinere. *Consuetudini*, ubi pretexitur, nulla habenda ratio; Ipsi Medicina cedit; Religio numquam. Est quædam alicujus sumendi vel gerendi facilitas, orta non ex necessitate, sed ex ingenii indolis, & temperiei mutuo consensu, quo menti solatium & voluptas, corpori bonum aliquandò, saltèm raro incommodum accedunt. Efficaciùs homini prodest, licèt inassueta suadens Pietas. Dubitante Malassare, Daniel & ipsius socii benè conscii, edulia Nabucodonosoris fastidiunt, aquâ pro potu, leguminibus pro cibo vescuntur, fit in ipsis ex miraculo, mens perspicacior, ex religionis proprietate, *post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores.* Sæpè & legitimè à jejunio excusant *vitæ munia*: Non tam à ciborum qualitate, quàm à quantitate & tempore refectionis dispensant. Ea sunt certa officia, quibus adimplendis ad Reipublicæ bonum, singuli adstringuntur homines. Pendent alia ex corporis motibus plùs minùsve vehementibus, alia ex animi contentione magìs aut minùs intensâ. Utraque corpus afficiunt succi nutritii diversâ dissipatione. Non à laborum specie, sed ab effectibus quos pariunt, desumenda excusationis causa. Reges, ipsorum Ministri, Oratores, Concionatores à jejunio immunes sunt. Dispensantur etiam ii Quorum opera à robore pendet, sic Artifices, Viatores; Scholares & Pedagogi potissimùm sunt à jejunio excusandi, Ipsorum labos, respectu doctrinæ facillimus, ast respectu erudiendæ juventutis methodi, vehementissimus est. *Morbus* est causa sufficientissima & evidentissima homines à jejunio excusans: Debet esse gravis, recens, totum corpus aut partem nobilem afficiens, ut admittatur tanquam legitimum impedimentum. Si sit confirmatus, ut cæcitas, non ab ullâ jejunii conditione excusat. Nequè si ipsi prosit diæta Quadragesimalis, quales sunt mediocris scabies cum pruritu & arthritis. Morborum immunitatem indicantium duplex species; Alia eorum qui jejunium præcedunt, Alia eorum qui ipso suscepto nascuntur. In hisce morbis videant Medici ac rigorosè examinent; nùm aliquid perversi irrepserit in jejunandi ratione; Sunt enim qui à particulari cibo noxas percipiunt, quo omisso servari potest commodissimè jejunium; Aliis nocet plurima comestio unicâ vice facta, si minùs comedant, etiamsi non cœnent, absque noxâ jejunium ferre poterunt; Aliis nocet ciborum varietas, simpliciori cibo sint contenti, nullo modo à jejunio lædentur. Immunitas occasione morborum concessa, vel generalis, vel particularis. Scilicet alia Carnem, alia Ovorum esum

tantummodò permittit, Alia comeſtionem multiplicat, Alia refectionis horam mutat. Timor rationabilis *futuri mali* eſt juſta cauſa excuſationis. Timendi rationes deſumuntur, ex tenuitate corporis, cujuſcumque viſceris debilitate, ex morbis præteritis facilem recidivam facientibus. Qui Nuper pleuritidem, peripneumoniam, jecoris inflammationem paſſi fuerunt, debet ipſis prohiberi victus Quadrageſimalis. Nullus glorietur ſe invitis jejunaſſe Medicis, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Uni ſano licitum eſt ſuam explorare Naturam per hocce tempus, Experimentorum eſt opportuna tempeſtas. Quot tunc ſumuntur cibi, tot obſervantur. Ex ipſorum impreſſionibus in Unumquemque hominem diverſis, Singularis prodit Temperies, cujus notitia, Ægri ſuſpirium eſt, Medici officium. Omne bonum à Deo eſt, omniſque ſcientia. Quàm dulce igitur eſt, quàm utile Quadrageſimale jugum! Quis hoc non appetet, quis reformidabit, quis ipſum ſuſtinendo non exultabit? Qui vult ſervari ſanus, Quadrageſimæ præcepto obtemperet Chriſtianus; Sic jubet Religio, ſic hortatur Medicina.

Ergò ſana Sanis Diæta Quadrageſimalis.

Proponebat Pariſiis ADRIANUS MALAVAL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.